



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE III. JUNII.



Arcinone, a. d. 24. April.

Proximis hisce temporibus complures Gallicæ cohortes in comitatum Ruscinonensem accesserunt. Quatuor illæ naues

bellicæ, quæ in portu nostro sunt exornatæ, Gades versus proficisci iussæ sunt. In Maioricam autem insulam quingenti operarii sunt missi, ut eorum augetur numerus, qui novis urbem hanc, nec non Palomeram atque Alcudiam oppida, cingunt munimentis.

Parisiis, a. d. 11. Maji. Rex noster Christianissimus nuper admodum imperavit, ut omnibus ministris aulicis novæ quamprimum vestes conficiantur. Hesternæ die Aluerniæ princeps, cui Archiepiscopi dignitas Viennæ Allobro-

gum delata est, ritu solemnè ab *Eminentissimo Cardinale Rohanio*, initiatus fuit; cui tam sacro tamque solemnè actui *Eminentissimi Cardinales*, Bissyus atque Boisyus, cum aliis quamplurimis iisque præcipuis sacri ordinis viris, interfuerunt.

Alia, a. d. 15. Maji. His diebus Sacerdos quidam Ordinis Carmelitanorum, viro cuidam summo, sexaginta librarum Gallicarum (hoc est triginta florenorum rhenensium) millia reddidit, quæ ei a nonnemine peccata confitente in ipso confessionis loco tradita fuerunt. Ille cui Sacerdos hoc tantum auri pondus reddidit, persolutis eidem gratiis, longe maiores pecunias eo modo sibi brevi allatum iri significavit. Simul ac rex Versaliam se contulerit, Vernayus Professor, Anatomes quædam

ex-

experimenta ei comonstraturus dicitur. Res illæ, quarum causa *Marchionem* Ledensem rex Hispaniæ ad aulem nostram misit, variis præbent hominum sermonibus occasionem. Sunt qui adfirmant, Garolum principem regisque Hispaniæ filium, in Italiam, sed paucis eius rei consciis, nauibus nuperrime iam aduectum esse.

Venetiis, a. d. 16. Maii. Superiori die Mercnrii voce præconis in vulgus editum est numos illos Cæsareos, quos Grossos vocant, elapsis tribus proxime secuturis mensibus, non in hac solum vrbe, sed & in aliis omnibus, quæ Venetorum sunt iuris, omni pretio priuatum iri. Dux noster, propter sæuam illam, quæ apud nos nudius tertius obtinuit, tempestatem solemnem illum, maris sibi deuinciendi ritum peragere non potuit.

Romæ, a. d. 9. Maji. Proxime præterlapsa die Saturni *Eminentissimus Cardinalis* Acugna Lisbonam profectus est; ante vero, quam se ad iter adcinxisset, centum numos, quos *Scutatos*, vulgo vocant pauperibus diuidendos curauit. Pontifex Maximus ei cruce auream admandatibus distinctam, cui particula de cruce Seruatoris imposita fuit, muneris dedit.

Alia, a. d. 16. Maji. Nauis quædam bellica, cui *Columbæ* nomen inditum est, propediem Corcyram cursum suum diriget, quam breui duæ aliæ sequentur. Pontifex Maximus heri diem inaugurationis auniuersariam, exacto feliciter primo Pontificatus anno, solemnem festamque transegit.

Genue, a. d. 9. Maji. Litteræ, quæ ex Hispania ad nos allatæ sunt, magnam omnibus iniecerunt admirationem, iis enim perscriptum est, Philip-pum regem, potioem copiarum sua-

rum partem exauctorare decreuisse. Aliis litteris indidem missis significatur *Chauignium* litteras a rege Galliæ sibi missas Philippo tradidisse, quibus is, loco *Marchionis* Mauleurierii, quem rex in Galliam reuocauit, legati munere in aula Hispanica perfungi iubetur. Iisdem litteris hoc quoque nuntiatum est, quatuor naues triremes illic parari in Africam mittendas, vt Septæ a barbaris diuexatæ opem ferant. Exportu *Liburno* accepimus, complures eodiuersis ex locis appelli naues, rebus ad victum necessariis onustas; ex *Provincia* tamcn atque *Languedocia* venientes naues, nequamquam illic admitti.

Bononia, a. d. 19. Maji. Ducem *Parmensem* acceptis ab Imperatore Romanorum litteris, animo valde perturbatum esse intelleximus, iamque sæpius eum a Pontifice Maximo petiisse, vt *Parmam* atque *Placentiam* milite Romano firmare velit.

Neapoli, a. d. 5. Maji. Complura nauigia, puluere pirio omnisque generis apparatu bellico bene onusta, quibus nauis bellica in præsidium ad iungetur, *Orbitelum* propediem dimittemus. Naues illæ, quas nuper ad persequendos prædones maritimos miseramus, saluæ iterum redierunt, posteaquam dies complures irritò conatu piratas quæsiissent.

Exportu Liburno, a. d. 8. Maji. Dux *Aurelianensis* & mari & terra bellum quam diligentissime compatare dicitur. Quia vero & Hispanos idem facere certum est, nemo amplius dubitat, quin classis quæ *Gadibus* instruitur in mare mediterraneum destinata sit.

Londini, a. d. 15. Maji. Incolæ *Ducatus Cornubiæ* in eo esse dicuntur, vt publice exponant, vix quenquam illorum qui *Procerum* curiæ numero adscripti sunt, rite fuisse electum. Comes *Peter-*

Peterboroughius sæpius iam in aula comparere solet post mortem *Comitis Sunderlandii* iamque *Classi* eum a rege præfectum, & quatuor librarum sterlingarum millia ei in annos singulos destinata esse ferunt. Heri rex in consilio, quod in aula fuit institutum, publice professus est, non se ante decimam sextam mensis Junii diem, iter in Germaniam suscepturum.

Hafnia, a. d. 12. Maji. Rumor hic percrebescit, præfecto classis nostræ mandata jam a rege esse data, ut solutis nauibus vela ventis daret, quamuis, quo eum proficisci oporteat, in vulgus nondum exierit. Exspectari præterea naues aliquot anglicas, quas nostris sese iuncturas aiunt. *Petriburgo* accepimus, numerum operariorum, qui in exstruenda naue prætoria, quæ incredibilis magnitudinis futura est, centum fabris lignariis auctum esse, eo fine ut intra duorum mensium spatium parata ad exeundum cum classe russica esse queat. Sunt, qui existimant, imperatorem ipsum illa vectum iri, quippe qui classi ipse præfaturus dicitur.

Holmia, a. d. 22. April. Cum litteræ his diebus ab iis, quos legatos misimus ad externos, scriptæ in Cancellariam perferrentur, & more ibi consueto resignarentur, accidit, ut illæ a non nemine nobis furtim furriperentur, qui quam diligentissime requisitus, inueniri hucusque haud potuit. Jam denuo de Regis itinere in Germaniam fama exiit in vulgus, cui, quid fidei tribuendum, tempus nos docere proximum poterit. *Antonius* ille, absente *Campebronio*, res Gallorum in hac agit vrbe, in mandatis accepit a Rege Gallorum, ut litteras *Commeatus*, quibus illi qui nauibus profiscuntur in Galliam, instructi esse debent, accurate recognoscat, id, quod

ægretulisse regem, & litteras propterea scripsisse ad regem Galliarum perhibent.

Petriburgi, a. d. 23. April. Equidem *Holsatiæ* ducem expeditoni adfore bellicæ, quam Imperator aduersus *Calmuccos*, *Tartarosque* suscepit, nuperrime commemoraueramus; sed alia nunc edocti, cum duabus Principibus, quas filias nactus est Imperator, & exterorum Principum ac regum legatis, nobiscum interea, dum exercitus *Astracanum* versus ducetur, commoraturum in hac vrbe, accepimus. Dicitur autem non potest, quanto ad bellum apparatu instruantur omnia. Præterquam enim, quod horrea impleantur com meatibus, & arma undecumque locorum subuehantur militibus numerus, copiarum quotidie augetur & crescit, quandoquidem, si illas, quas *Astracanum* misimus legiones, exceperimus, centena militum millia in armis habebimus.

Moscua, a. d. 12. April. Quam animo iam pridem *Czar* molitus est aduersus *Calmuccos*, *Tartaros*, & alios maris *Caspici* adcolas, raptò viuere adfectos, expeditionem bellicam, illam nunc iam propediem suscipiet, & copias suis ipsis reget auspiciis. Permultæ militum cohortes, cum suis quæque ducibus, nauigiis ad id præparatis impositæ, secundo flumine, cui *Volgæ* nomen est, defluerunt *Astracanum*, ubi triremes eas expectant quibus veteræ, iter ulterius persequuntur. Qui de conubio quod *Holsatiæ* dux cum filia Imperatoris natus secunda inire dicebatur rumor prope euanuerat, nunc denuo percrebescere cepit, quam ob causam quamplures in eam adducuntur sententiam, ut perfectum iri, existiment, matrimonium, simulatque *Czar* exercitum ab expeditione reduxerit.

Ex Holsatia a. d. 19. Maii. Chilonio fama perlata est, in interiore curiæ parte, habitationem quandam præparatam esse, in qua vir quidam summus captivus adferuabitur, cuius comprehendendi causa centurio cum militibus iam missus est. *Comitem* Rantzauium Itzehoam captivum abductum esse, eaque propter *Ericcium Ducis Cancellarium* in eam urbem esse profectum.

Lublina a. d. 26. Aprilis. Adductus huc nuper est bos tricornis, ad quem spectandum, omnium ordinum homines in palatium *Palatini* Lublinsenſis magna frequentia conveniunt, atque monſtri inſtar admirantur, tantoque magis, quod in conclaue introductus, vinum ex poculis mira arte exhaurire conſpicitur.

Ex Turtia, In ſanctiore nuper conſilio, cui ipſe Turcarum interfuit imperator, diu multumque deliberatum fuit, qua ratione omnis negotiatio commerciumque e Perſide in Turciam transferri atque Europæ populi adduci queant, ut merces, a Perſis in Turciam perlatas, in ſuas quiſque Regiones deportent. Cumque res omnibus per facilis factu videretur, imperatorem ſine dubio in eorum abiturum ſententiam, arbitramur qui, qui feſtinato opus eſſe cenſuerant, dum ſpe lucri calerent Perſarum animi & reconciliata pace, nihil quidquam repulſæ a Perſis timendum foret. Auctorem huiusmodi conſilii principis cuiusdam exteri legatum ferunt, cui tamen valde obniti, commemorant, Ruſſorum Czar, qui in eo iam verſatur, ut de mercibus ex Oriente Moſcuam perferendis, cum Perſarum Rege tranſigat & fœdus, commerciorum cauſa ſanciat.

Vienna a. d. 27. Maii. Proxime præterlapſa die Saturni cursor a comite Frey-

tagio Imperatoris Rom. in aula Suecica legato miſſus, Laxenburgum ad Schönbornium *comitem* propere profectus eſt. Nudius abhinc tertius Imperator Auguſtiſſimus conſilio ſanctiori interfuit, qua occasione *Excellentiſſimus comes*, Johannes Caſparus Coblenzel, ſummi Aulæ *Bæſareæ Marſſballi* dignitate ab Imperatore ornatus fidem ſuam iureiurando eidem Imperatori obſtrinxit. Conſilio finito idem Aulæ *Marſchallus*, a Principe, Johanne Leopoldo Donato Trauthſonio, illis aulicis miniſtris, qui ſub eius futuri ſunt poteſtate, ſolemniſter præfectus eſt.

Alia, a. d. 30. Maji. Superiori die Jouis, Princeps Ludouicus Pio, *Camera & Muſicesin* aula Cæſarea Director, *Comitem* virginem Thierheimbianem, præſente Imperatore, totaque eius domo auguſta, ſolemni deſponſationis ritu ſibi iunxit in matrimonium. Eadem die milites, qui nuper in Italia exauctorati, atque huc aduecti fuerant, in Hungariam miſſi ſunt, ut legionibus quæ in illo regno ſunt, accenſeantur. Ceterum Imperator Auguſtiſſimus ad huc in ſeceſſu Laxenburgenſi commoratur, atque evenationibus quotidianis animum ſuum oblectat.

Poſonii, a. d. 3 Junii. Demetſi rumor, ſed ſine capite manare cœpit, publica regni comitia, diætam vocant, quæ a. d. 20. menſis quo iam viuimus, auctoritate regia indicta ſunt, aliquantisper dilatatum iri; Patres tamen urbis noſtræ nihil earum rerum omittunt, quæ ſive accipiendo Regi indulgentiſſimo, ſive deſignandis procerum hoſpitiis videntur eſſe neceſſaria. Inprimis autem pontis naualis, quo Danubius iungendus erit, cura tanguntur, quod is ſine magno ſumtu non poterit procurari,